

G17
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

W-59.

SIGNAT. *cis 15 CCCXIII.*

Q. D. B. V.

DISCURSUS

DE

ORIGINE ANIMÆ
RATIONALIS

Quem,

Assistente Divini Numinis gratia

Et

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
indultu

IN INCLUTA REGIOMONTANA
ACADEMIA

*Publicæ Eruditorum Ventilationi
subjiciunt*

M. JOHANNES POLANI

Berseviceno-Hungarus

PRÆSES

37

GEORGIUS VVOLFFGANG

Eperiesino-Hungarus

RESPONDENS

*Ad diem XVIII. Junii, in Acroaterio Philo-
sophorum.*

REGIOMONTI,
Prælo REUSNERIANO
M DC XLII.

h. III. 1594

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis ac Speciosissimis

Dn. IUDICI nec non Dnn.
CONSULARIBUS Regiae Liberæq;
Civitatis Eperies gravissimis, cæterisq; de Repu-
blica Literaria benè meritis, Dominis Evergetis mu-
nificentissimis & Fautoribus lauda-
tissimis.

U t E t

Admodum Reverendis Clarissimis arg.
Dignissimis

Dnn. PASTORIBUS ECCLESIA-
RUM Eperiensium Vigilantissimis, Domi-
nis Fautoribus & Patribus in Christo ho-
norandis

Publicum hoc Academicum Exercitium, in
symbolum & argumentum devotæ sub-
jectionis
offerunt & consecrant

M. JOHANNES POLANI

et
GEORGII WOLFGANGI.

DE ORIGINE ANIMÆ RATIONALIS

I alibi tūm in præsenti materia, obtinet vulgatum illud : *Quot capita, tot sententiae.* Paucos hic inventias idem tenentes ; in aliam hic, ille item in aliam torquetur opinionem. Hinc illi Veterum & recentiorum commentarii, multiplici dissonantium sententiarum varietate turgentes, non nunquam talia exhibent, ut animus veritatis cupidus, in quo acquiescat, vix inveniat. Ille pro infusione animalium tanquam pro aris & focis dimicat. Iste educationem martiali fortitudine propagnat. Hic non minore robore propagationem munitam exhibit. Ille insuper patri, iste Matri, Hic verò utriusque Parentiam animæ ortum deberi differit. Nobis quæ verisimilior videatur sententia, sequentibus declaratum dabimus Positionibus.

POSITIO PRIMA.

Animahumana non educitur è semine per *δυνάμειν πλαστήν.*

Singulæ Positiones quatuor sequentia exhibebunt.
1. Succinctam Theseos enodationem. 2. Rationes.
3. Exceptiones. 4. Objectiones.

A 2

i. The-

I. Theseos enodatio.

Fuere qui propagari quidem à Parentibus animam censemabant, attamen non actu, sed potentia solum in semine latere, excitari verò & educari è potentia seminis virtute plasticà, præsenti jam quali quali membrorum delineatione Cui sententiae non subscribimus, sequentibus moti rationibus.

II. Rationes.

I. Si anima nostra educeretur è semine virtute plasticâ, triplex hoc sequeretur *ἀλογον καὶ ἀλονον*. 1. Accidens esse nobilis substantia. 2. Principium passivum esse nobilis activo. 3. Quendam effectum esse causam suæ causæ. Addo & 4 Hominem non generare hominem.

2. Non potest ostendi, ubi vis illa plastica post educationem animæ maneat. Non manet in semine; Sic enim corruptio semine, etiam corrumperetur, & consequenter, neque anima esset incorruptibilis; Nullus enim effectus excedit Virtutem suæ causæ. Non manet in anima: Si namque est causa efficiens erit causa externa, & effectus sui essentiam non ingreditur.

3. Si de formis materialibus illud nequit verificari, quod educantur è potentia materiæ: multò minus verum erit animam rationalem è semine educari: Verum prius (id quod suo loco probari solet) Ergo & posterius

4. Impingit denique assertio hæc in divinæ sapientiæ eloquia, quibus disertè perhibetur nos in peccatis concipi, vel ut proprietas originalis textus indigitat, in peccatis calefieri. Unde infallibiliter colligitur, in ipsis statim primordiis conceptionis, massam naturæ nostræ peccato

peccato pollutam esse. Si hoc. Quomodo tūm aberit
anima quæ πεccator deuinior peccati? Nisi quis contra re-
ctæ rationis ductum Accidens absq; subjecto velit
communisci.

III. Exceptiones.

1. Excipiunt adversæ sententiæ patrocinantes. I.
Ad Rationem Primam: Virtutem illam prolificam non sta-
rui causam animæ, sed dūntaxat causam eductionis animæ in a-
lum, frustaque nos absurditates memoratas prætendere. Ve-
rūm hoc diverticulo non leniunt falsitatem sententiæ
suæ, sed paribus incommoditatibus eandem obnoxiam
reddunt. Porro enim sequitur 1. Quendam effectum
existere ante suam causam. Quid etenim virtus Pla-
stica aliud est quàm effectus animæ? Si est effectus
animæ, quomodo antè existentiam animæ reales pro-
ducet operationes, vel ipsam animam sui causam? 2.
Formam esse suum debere materiæ. Si namque ani-
ma potentia solum latitat in semine, tūm semen erit
causa animæ. Omne siquidem ens in potentia recum-
bit in cunabulis causarum suarum. Si hoc, stipes est, qui
non animadvertisse inde inferri; Principium Passivum
esse præstantius activo.

2. Ad Secundam. Nihil interesse etiam si δύσαμις πλα-
στική posse productionem animæ intereat. Id tamen nulla ve-
risimilitudine asseritur. Quomodo enim immortale
ac incorruptibile à caduco & mutabili? ubi manebit il-
lad communi Philosophorum calculo approbatum
axioma: Qualis causa talis effectus; & illud: Effectus
non excedit virtutem suæ causæ.

3. Ad Tertiam. Nos controversum per æquè controver-
sum, dubium per æquè dubium probare. Nequaquam autem

id fit. Sententia enim illa Scholasticorum & non nullorum Peripateticorum, de eductione formarum ex materia, jam dudum ab accuratoriis rerum naturalium indagatoribus, ex circa Physiologico est proscripta atque profligata. De cuius improbabilitate fuis in præsentiarum agere, non est nostri instituti.

4. Ad Quartam si regeras, *Regium Psalmum non conceptui, sed matri concipienti peccata & iniquitates attribuere*; Immane quantum à vero ab ludis, & hospitem Te in sacris literis prodis. Propheta enim cupit à Peccatis illis in quibus conceptus est mundari. At quid opus est eum a peccatis Parentum mundari, cum Filius non insistens iniquitatibus Patrium, immunis sit ab eorum prævaricationibus.

IV. Objectiones.

Ne autem absque ulla specie veri præsens venditur opinio, sequentibus a suis coloratur pigmentis :
1. Jactant eam congruere cum recta ratione. Multarum siquidem rerum effectus non statim actualem nanciscuntur existentiam, sed sensim & pedetentim quasi deducuntur in actum. 2. Argumentantur ab observatione & experientia: Sinon statim post generationem aequalis animæ operationes deprehenduntur, sequetur etiam eam nondum in actum esse deducitam, sed adhuc debere virtute prolificâ deduci. Verum prius (ut ipsis placet) Ergo &c.

Quæ vimina quâ facilitate sunt contexta eadem facilitate retexuntur. Quantum verò ad prius; illam rectam rationem non antè obtinebunt, quam Dialecticorum consensu approbatum fuerit, à multis ad omne

omne procedere sequelam, præcipue in rebus diversis:
simi generis, quod tum demum fiet

Quando Ararim Partibus bibet, aut Germania Tigrim.
Circa secundum notamus 1. Id non statim negari
debere quod sensui & observationi nostræ non subja-
cet. 2. Animæ juxta nonnullos duplē actum
competere, videlicet Formalem & Entitativum (de
quibus in scientia naturalium) atque eandem mox
post generationem hunc obtinere, quanquam non il-
lum. Nostram de hac re mentem uberioris exposui-
mus Posit. 3. Rat. 3. unde cognosci potest.

POSITIO SECUNDA.

Animæ nostra non infunditur imme-
diate à DEO. Ethic subjicienda

I. Theseos enodatio.

Dantur magni nominis Philosophi & Medici,
nec minoris celebritatis Theologi, qui eam fovent sen-
tentiam, animam quamvis à DEO ex nihilo creari, at-
que foetui eo momento demum infundi, quo organa
ita disposita sunt, ut commode operationes exercere
possit, idque accidere circiter mensem tertium aut
quartum, tūm enim utramque conformatiōnem ple-
nissimè peractam existimant. Quorum autoritatē
nihil quidem detractum volumus, sequentes tamen ra-
tiones penitandas proponimus.

II. RATI-

II. Rationes.

1. Si anima mediantibus Parentibus propagatur, tūm non immediatē à DEO infunditur. Verum prius (id quod positione sequenti confirmatum dāmus) Ergo &c.

2. Si anima immediate à DEO infunditur, non potest ostendi quomodo peccato inficiatur. Aut enim peccato inquinatur à DEO, aut à corpore. Non à DEO; sic enim manifestē peccati autor constituitur. Non à corpore. Quod enim corpus non habet, illo animam inficere non potest. Atqui ignorantiam & prava desideria (quæ tomes peccati) corpus non habet. Ergo. &c.

III. Exceptiones.

1. Excipiunt; *Animam creari à DEO, sed privatam bonis originalibus.* Ast ita 1. sequetur quoddam opus DEI non esse valde bonum. 2. Sciendum peccatum originis non tantum consistere in privatione, justitiae originalis, sed etiam in positivo virtutis habitu. Nunc quārō: A quo illa virtutis? A corpore? Falsum. A DEO? Blasphemum. 2. *Hanc pœnam justè homini à DEO infligi.* Ita autem præpostere malum culpæ in malum pœnæ transformatur, atque impie causa peccati Deus constituitur.

IV. Objectiones.

Quandoquidem hujus sententiaz propugnatores argumenta ad probandum eam etiam è sacris literarum monumentis desumunt, haud incongruum erit etiam corundem robur explorare.

1. In-

1. Initio autem urgent illud Gen. 2. v. 7. ubi dicitur, *Febova DEus finxiisse hominem de pulvere terra, sufflauisseque in narces ipsius hancum vitam, ut esset in animam viventem.* Hoc autem nihil ad rhombum. Non enim nobis sermo est de prima illa extraordinaria & miraculosa hominis formatione: sed de ordinaria generatione. Hæc verò tantum ab illa differt: quantum infima terra, à supremo cælo. Ex quibus infirmitas consequentia, candido Lectori, facile innotescere potest.

2. Eccles. 12. v. 7. & Zach. 12. v. 1. *Ubi DEUS autor spiritus humani constituitur Sed quām lubrica est hæc consequentia: DEus fecit, Ergo immediate, Ergo sine interventu causarum secundarum. Concludam ego patiter ex Job. 10. v. 10. & 11. corpus nostrum immediate à DEO formari. Item ex Jac. 1. v. 17. Omne DEI donum immediate à DEO conferri. Quod dum tu mihi non largiris, neque ego Tibi illud.*

3. Adicere & hoc placet, quod Jul. Cæs. Scal. Exer. 6. Sect. II. in hanc materiam statuit. Is d. l. existimat, Fœtum hominis vivere primum anima vegetativa, deinde subire sensitivam, post infusionem a. rationalis priorem utramque aboleri. Ubi haud immerito quæritur: Si post infusionem animæ rationalis vegetativa & sensitiva in quovis homine abolentur, à quo cædem fœtui communicantur. Non à Parentibus. In his enim istæ jam pridem abolitæ. Non è semine elicuntur, cum idem Scal. I.c. sect. 9. animas materiales actu esse in semine contendat. Tertium non invenio.

POSITIO TERTIA.

*Anima humana in ipsa generatione,
ab utroque Parente propagatur.*

B

I. The-

I. Theseos enodatio.

Dimissâ itaque Eductione & infusione seu creatione, propagari animam dicimus ipso generationis tempore, & quidem ab utroque Parente, tanquam causa socii generationis, quarum neutra seorsim hunc effectum absolvere potest.

II. Rationes.

Firmat sententiam nostram I. Scriptura, cuius tria duntaxat hac vice urgemuſ loca.

(1) Gen. I. v. 28. Ex quo ita colligimus: Si virtute benedictionis divinæ arbores, herbæ, animantia bruta sibi specie progernerant simile, idem quoque non denegandum homini. Consequentia evidenter suâ luce radiat. Alias enim sequetur hominem vel desperationem esse cœteris animantibus, vel verò benedictionem eidem factam inefficacem; quorum neutrum aliquis, nisi cui mens everfa, afflaverabit.

(2) Gen. 5. v. 3. ubi dicitur, Adam genuisse filium ad imaginem sui; per quam imaginem corruptionem virium humanaarum denotari, opposita huic Imago DEI docet. At verò ponere corruptionem virium humanaarum absque anima, est ponere Accidens absque suo subjecto.

(3) Gen. 46. v. 26. ubi dicuntur ex femore Jacobi egressæ animæ sexaginta sex. Quo quid clarius pro statuminanda nostræ sententia veritate adduci potest.

2. Natura. Univocæ generationis illa est indoles, ut quibus haec competit, nomine & definitione sibi simile producant. At talis est generatio hominis (quis enim eum Scarabei in modum generari dixerit?) Ergo &c. Si itaque Homo generat hominem tūm & animam: absque

absque hac namque neque est, neque dicitur Homo.

3. Experientia. Ubi cunque dantur operationes, ibi & potentiae: ubi potentiae, ibi essentiae. Hæc enim se mutuò in sequuntur esse, posse, operari, quorum posteriorus semper presupponit prius. Jam vero in semine comprehenduntur operationes animæ, quales sunt secretiones, concretiones, contractiones &c. Ergo & potentiae, & consequenter actualis animæ præsentia.

4. Veterum Testimonia. Imprimis vero Platonis, Galeni, Aristotelis, quorum ille (in Tim. p 552.) Semina animata vocat. Ille (de Marc. cap. I.) eadem inter viventium genera refert. Hic (2. de gen. animal. c. 3.) Conceptum vivere & animatum esse statuit. Quibus addi potest Themistius, qui citante Jul. Cæs. Scal. (exerc. 6. Sect. 9.) Animam domicilii sui Architectam nominat.

III. Exceptiones.

I. Ad dicta priora duo Scripturæ, & rationem sequentem Naturæ, excipiunt Adversarii: *Hominem generare hominem, etiam si anima immediate à DEO infundatur, idque, quod generatio terminetur ad productionem compositi. Quia itaque Homo animam conjungit corpori, hinc hominem totum ab homine generari contendunt.* Verum pluscula in hac Exceptione desideramus. Primò enim, si generare idem est, quod animam carni sociare, sequetur solam matrem ad generationem sufficere. Imò 2. neque Matri, sed DEO generationem esse attribuendam; Is enim immediata infusione animam conjungeret corpori. Itaque 3. Generationem ad productionem compositi terminari non abhuimus, cum hac tamen adjectione, ut qui totum compositum producit, omnes etiam ejus

partes verè producat, quod non sit, si anima forinsecus infundatur.

2. Ad dictum tertium rationis primæ regerunt, *ibi animam per Synecdochem ponit pro Homine*. Id quod ambabus damus manibus. Sed quid exinde decedit nostræ sententiæ? Tantum videlicet, ut ei plus roboris accedat. Si enim sexaginta sex homines erant in lumbis Jacobi, utique & animæ eorum. Id quod si negant, Homines inanimatos sibi reservent. Ceterum tenendum 1. Animas illas fuisse in Jacobo non formaliter & subjectivè, sed efficienter & successivè. 2. Nominatà principaliori causâ Sociâ, minus principaliorē non excludi.

3. Ad Rationem ab Experiencia desumptam reponunt: *Dari quidem operationes in semine, harum tamen principium non esse animam, sed partim vim plasticam, partim calorem communicatum.* Ast hæc omnia tanquam subordinata non debent opponi. Vis enim illa Prolifica, annon animæ facultas est? Ubi ergo hæc, ibi & anima. Calorem quoque communicatum suum præstare officium, non ambigitur, principales tamen circa corporis efformationem partes anima sibi vendicat, ut pote domicilii sui architecta.

4. Ad Testimonia veterum si regeras: *Eos consideravisse tantum formas materiales.* Nihil proficit; obstat enim & dictorum Universalitas, & rei ipsius determinatio; quamvis in autoritate Philosophorum veritatis asylum confistere non statuamus.

IV. Objectiones.

I. In primis autem argumentorum subselliis collamus illud, quod à multis pro nodo Gordio venditari solet hoc pacto: *Aui uterq; Parens totam animam, au² Pac*

*Pater dimidiā & mater dimidiā propagat. Si uterq; totam,
aut due producentur numero differentes animā, aut due numero
differentes animā in unam coibunt. Utrumque absurdum & in-
conveniens. Si verò parēm animā Pater, partem quoque ma-
ter confert, cadet indivisibilitas animā. Et consequenter imma-
terialitas & immortalitas: Verūm non est cur se eo pacto
torqueant. Parentum enim animāe non materia sed
efficientis rationem sustinent. Efficiens verò, quia,
non ingreditur essentiam rei, neque compositionem in
effecto causare potest. Clarius: Parentes in producti-
one animāe sunt causae sociæ, & unam absolvunt cau-
sam sufficientem. Non itaque à solo Pater anima pro-
ducitur, neque à sola matre, sed ab utroq;. Neque par-
tem animāe producit Pater, partem mater, sed uterq; to-
tam. Stant enim pro una causa, quemadmodum & pro
una carne in divinis habentur oraculis. Spectandæ ita-
que hoc loco Parentum animāe non extra generatio-
nem & divisim, sed in generatione & conjunctim. Ad-
sumbramus id quodammodo sequenti exemplo: Bajuli
duo in deportatione alicujus oneris sunt causae sociæ,
stantes pto una causa sufficiente. Neuter enim per se
aptus esset portando illi oneri. Non tamen hic partem
oneris bajulat, ille item partem, sed uterque totum. Id
quod si parvā magnis conferre licet, haud incongruum
videbitur, modo comparatio ultra mentem nostram,
non dilatetur: ea enim nil aliud declarare contendim-
us, quam, non semper ad numerum causarum, præci-
pue externalium, sequi vel numerum, vel compositio-
nem effectorum.*

*2. Urgent & hoc: Animam esse prorsus independentem
à quovis creato secundum existentiam. Ergo etiam secundum
productionem. Antecedens probant, quod videlicet nec à Pro-*

ducere dependeat, nam eo absente & in effectum non amplius influente, superest. Neque à materia. Nam cù pereunte, anima non interit. Consequentia quoq; evidentiā adstruunt; quia omnis effectus dependet à sua causa, & naturalis quidem à naturali quoad existentiam. Quæ ratiocinatio videtur quidem esse quantivis pretii, si tamen oculos mentis in eam intendas, vilescit. Antecedens utpote lubrico innixum fundamento, inficiamur. Quæ enim hæc est consequentiæ ratio, Anima non dependet quoad existentiam à producente, Nam eo absente & in effectum non influente superest? Certè eo pacto omnis dependentia secundum existentiam Effecti à causa tollitur. Nam semina existere possunt cadētibus & marcescentibus plantis. Animalia quoque sive Bruta sive Rationalia non aliter sunt comparata. Ergone inter hæc nullus dependentia quoad existentiam locus? Essentia alicujus rei nobis nihil aliud est, quam actualis essentia eiusdem. Anima itaq; quia à producente dependet ratione actualis essentiæ, utique existentia ejus etiam non alteri cuiquam debebitur.

3. Objiciunt, *Spiritus naturā esse ingenerabiles; quomodo itaq; anima qua Spiritus est, per generationem quidditatem suam sortiri potest?* Verùm à particulari ad universale non procedit illatio; Propterea nos distinguimus inter Spiritus completos & incompletos. Illos, quales sunt Angeli, ingenerabiles esse lubentes concedimus. Horum autem multiplicatio, quâ evidenti ratione, improbetur, non videmus. Cætera in discursu discutienda reservamus: DEO, quod super est, pro collatà gratia acceptum referentes.

Sint

Sint aliis sylvæ curæ, camposq; pererrent;
Sectenturq; teras, carnivorusq; Lupos.
Præcipit soles alius, præcordia dulci
Exhilarans Baccho, noxius ipse fibi.
Contemptor vitæ miles ferat omnia in armis,
Ut referat fortis nomina clara viri:
Dignior his tamen es, rerum dulcissime Civis,
Dum sequeris Claris castra tubamq; chorū.
Qui teris omne tibi concessum tempus in arte,
Ut mentem ducas ad bona vera tuam.
Tu Sophiæ ingressus studium, sub Præside docto
Colligis immensas mentis & oris opes.
Quis non propositum laudabit tale, quis hisce
Optabit cœptis non bona cuncta tuis?
Perge precor labor hic, non hæc spes irrita fiet,
Namq; tuum Phœbus cinget honore caput.

Domino Respondenti Fauori, Amico, Conter-
raneo & contubernali suo dilectissimo hono-
ris & amoris ergo apposuit.

Paulus Hertelius Cibin. Hung.
S. S. Theol. Stud.

Nil juvat in studiis privatis tempus ut omne
Consumas: loca sed publica adire decet:
Omnibus ut constet, vigili collecta labore
Quod possis doctis reddere nota viris.
Hoc Wolfgangi, tibi placuit; nam pulchra tandem
Scandis, & ingenium sit tibi quale, doces.
Laudo conatum; sic pergere perge. Dabit nam
Crede laboranti, præmia magna, Deus!

Ita Dn. Respondenti Fratrem amoris gratiâ
gratulari voluit.

Paulus Kyß. Sarvarien. Ung.
S. S. Theol. Stud.

A Rdua quæ tractas adeò, Wolfgang, videntur,
Ut pudeat magnos non tacuisse Viros.
Non est humani mirus nam corporis ortus,
Si sp̄ctes animæ quæ sit origo Tuæ.
Illa nec est Patris vel Matris tota; nec est pars:
Et tamen à Matre est & Patre tota Tuæ.
Sed bene! sic etenim disces **N O S C E T E I P S U M**,
Si quereras animæ semina prima tuæ.


*Dno Resp. Amico perdilecto gratula-
bundus apposuit.*

Adamus Kyſs. Sarvarino Ung.
Phil. Stad.

UT Phœbus rutilo præfulget lumine stellis,
Sic reliquis Wolfgang, sedulitate præis.
Perge bonis cœptis, & te juvenesq; sensq;
Candidulo excipient pectora, teq; juvent.

*Dno Respond. Amico & Contubernali fraterne
dilecto gratulabatur*

Johann. Stimmelius Kuesan Vallen.
Vng.



Ung. VI 59
f




56.

VD17.

Juni 2000 RU

B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.
DISCURSUS
DE
ORIGINE ANIMÆ
RATIONALIS

Quem
Assistente Divini Numinis gratia

Et
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
indulstu

IN INCLUTA REGIOMONTANA
ACADEMIA

Publicæ Eruditorum Ventilationi
subjiciunt

M. JOHANNES POLANI
Berseviceno-Hungarus
P R A E S E S

GEORGIUS VVOLFFGANG
Eperiesino-Hungarus

R E S P O N D E N S

Ad diem XVIII. Junii, in Aeroaterio Philo-
sophorum.

REGIOMONTI,
Prælo REUSNERIANO
M DC XLII.

37

h. III. 1594

